



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XIV. De incontinentia clericorum punienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

Ne nimis religionum diuersitas grauem in eccllesia Dei confusionem inducat , firmiter prohibemus ne quis de cetero nouam religionem inueniat : sed quicumque voluerit ad religionem conuerti , vnam de approbatis assumat . Similiter qui voluerit religiosam domum fundare de nouo , regulam & institutionem accipiat de religionibus approbatis .

Illud etiam prohibemus , ne quis in diuersis monasteriis locum monachi habere præsumat , nec unus abbas pluribus monasteriis præsidere .

XIV.

Vt clericorum mores & actus in melius reformatur , continenter & caste viuere studeant vniuersi , præsertim in sacris ordinibus constituti , ab omni libidinis vitio præcauentes , maxime illo , propter quod ira Dei venit de cælo in filios diffidentiae , quatenus in conspectu Dei omnipotentis , puro corde ac mundo corpore valeant ministrale . Ne vero facilitas veniae incentium tribuat delinquendi , statuimus , vt qui deprehensi fuerint incontinentiae vitio laborare , prout magis aut minus peccauerint , puniantur secundum canonicas sanctiones , quas efficacius & distictius præcipimus obseruari , vt quos diuinus timor a malo non reuocat , temporalis saltem poena a peccato cohibeat .

Si quis igitur hac de causa suspensus diuina celebrare præsumperit , non solum ecclesiasticis beneficiis spolietur , verum etiam pro hac duplice culpa perpetuo deponatur .

Præ-

ANNO
CHRISTI
1253.
Prælati vero, qui tales præsumpserint in suis ini-
quitatibus sustinere, maxime obtentu pecuniæ, vel
alterius cōmodi temporalis, pari subiaceant vltioni.

Qui autem secundum regionis suæ morem non
abdicarunt copulam coniugalem, si lapsi fuerint,
grauius puniantur, cum legitimo matrimonio pos-
sint vti.

XV.

A crapula & ebrietate omnes clerici diligen-
ter abstineant, vnde vinum sibi temperent, & se
vino: nec ad bibendum quispiam incitetur, cum
ebrietas & mentis inducat exilium & libidinis pro-
uocet incentiuum. Vnde illum abusum decerni-
mus penitus abolendum, quo in quibusdam par-
tibus ad potus æquales suo modo se obligant po-
tatores, & ille iudicio talium plus laudatur, qui
plures inebriat, & calices fecundiores exhaustur.
Si quis autem super his culpabilem se exhibuerit,
nisi a superiore commonitus satisficerit compe-
tenter a beneficio vel officio suspendatur.

Venerationem & aucupationem vniuersis clericis
interdicimus: vnde nec canes, nec aues ad aucu-
pandum habere præsumant.

XVI.

Clerici officia vel commercia sæcularia non
exerceant, maxime inhonestâ. Mimis, ioculato-
ribus & histzionibus non intendant, & tabernas
prorsus euitent, nisi forte causa necessitatis in iti-
nere constituti. Ad aleas vel taxillos non ludant,
nec huiusmodi ludis intersint. Coronam & tonsu-
ram habeant congruentem, & se in officiis diuinis

Concil. Tom. 28.

Z